

sponderi ab infirmis, priusquam viatico reficiantur.

QUESTIO VII.

De quo tributo agatur *Matth. 17, v. 24.*

Quando Christus cum discipulis suis intrabat Capharnaum, accesserunt publicani ad Petrum, et dixerunt ei: *Magister vester non solvit didrachma? Aut Etiam.* Lyranus, Abulensis, et Cajetanus neganter exponunt *et etiam*; id est: Verum est quod dicitis, non solvit magister didrachma seu tributum. Verisimiliter tamen Tielmannus, et Jansenius interpretantur affirmanter, *etiam*; hoc est, magister solvit tributum: siquidem id insinuat sensus constructionis, juxta quem publicani non dixerunt quod Christus solutionem didrachmatis negaret, sed petiverunt an solveret necne? Petrus igitur dicendo: *Etiam*, annuit, et ex consuetudine Christi, quam viderat praecedentibus annis, respondet Christum solvere hoc tributum.

Ocasione autem illorum publicanorum, petentium à Christo tributum didrachmae, dicit Dominus Petro: *Quid tibi videtur, Simon? Reges terrae à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Questionem propositam, nempe de quo tributo vel censu hic agatur, docet agitur auctor Analyseos, disertat. 18, ubi in hunc modum resolvit:*

Primò, S. Chrysost., hom. 59 in *Matth.*, putat illos publicanos, seu, ut jam vocantur, commissarios petivisse tributum quod omnes primo genti Israelis debebant dare, juxta legem, Num. 18, v. 13: *pro hominibus primo genti tributum accipias... cuius redemptionis erit post unum mensem, siclis argenti quinque, pondere sanctuarii.*

Verùm huic opinioni obstat primò, quòd illa pecunia deberet solvi post unum mensem à nativitate, vel saltem in die purificationis matris. Secundò, quia debebant dari sicli argenti quinque, pondere sanctuarii; id est, ferè quæto medii patacones nostrates: publicani autem petunt à Christo didrachma; id est, ferè duos solidos nostrates.

Secundò, aliqui interpretes, secuti S. Hieronymum et Bedam, dicunt hic agi de tributo quod Augustus imposuerat Judæis, dum per Cyrium jusserat describi universum orbem. Dubitant interim illi interpretes, num tributum illud diu ante fuerit impositum, scilicet à Pompeio, diu Jerosolymam cepit. Addunt ulterius, conjecturantes quod tributum illud à descriptione illa, per Cyrium facta, non amplius deberet solvi à quolibet in civitate, è qua erat oriendus, ut Lucae 2, sed in civitate in qua habitabat. Hinc factum est, ut, quia Christus plurimum morabatur in Capharnaum, etiam publicani Capharnaum ab ipso petierunt didrachma.

Ratio ipsorum prima est hæc, quia Matthæus utitur dictione purè Latina, *census*, quæ significat pretium illud juxta quod cujuslibet bona seu facultates taxantur vel estimantur.

Hæc ratio nihil probat: nam Christus loquitur gene-

raliter de omni pretio quod principes suis subditis imponunt solvendum, quocumque nomine vocetur, dicit enim: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?* Certè filii regum excipiuntur, non à solo censu, sed à quocumque tributo. Item petebatur pretium determinatum capitatum, scilicet didrachma; atque census, taxa, vectigalia et alia tributa non sunt determinata secundum capita, sed secundum facultates vel merces; ergo non agitur de pretio illo, juxta quod bona taxantur seu estimantur.

Secunda ratio ipsorum est quia Dominus dicit: *Reges terræ, etc.* ego loquitur de tributo solvendo regi, seu imperatori. Sed hæc ratio quoque nihil probat, quia Christus ista verba tantum proposuit, ut inde à simili concluderet quòd, sicut filii regum non debent solvere tributum vel censum, sic ipse non deberet solvere istud didrachma. Præterea, aliquo tempore post, *Matth. 22, v. 17*, Pharisei Christum interrogaverunt an liceret dare censum Cæsari? Hoc autem verisimiliter non fecissent, si per illud didrachma intelligeretur tributum, quod Cæsar Augustus imposuerat Judæis; nam cum Christus istud didrachma solverit, non poterant Pharisei nisi ineptissimè petere an hoc foret licitum quod ipse modò fecerat. Denique quomodo commissarii Cæsaris tributum vel censum exegissent ab illo qui nulla bona immobilia habebat.

Restat ergo dicendum quòd hic agatur de tributo, quod Deus exigebat à filiis Israel, de quo dicitur *Exodi 30, v. 11* et seq. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animalibus suis Domino, et non erit plaga in eis, cum fuerint recessit. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dividitum sicli juxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Medie pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero, à viginti annis et supra, dabit pretium. Dives non addet ad medium sicli, et pauper nihil minuet. Susceptantque pecuniam, quæ collata est à filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, et propitius animalibus eorum.*

Ex hæc lege colligitur quòd, quando necessitas templi requirebat, feret illa numeratio populi et exigenter illud tributum. Hoc autem scipsum poterat accidere, presertim tempore ministerii Christi; quia tunc Judæi gravati tributis, etc., quæ Romani ab ipsis petebant, non poterant ita nullum, ut ante, ex devotione contribuere ad illa sacrificia, quæ tamen non exigunt summam pecunie requirebant, cum essent valde multa et quotidiana.

Hinc tributum illud, quod ante tantum aliquando petebatur, jam erat annuum, erraticum in omnibus civitatibus ad hoc commissarii qui illud exigebat; duravitque etiam sub Romanis: nam nullibi legitur illud hoc revocasse. Sed Vespasianus Augustus, ut refert Josephus, lib. 7 de Bello Judaico, cap. 27, post excidium Jerosolymitanum et dirutum templum jussit Judæos, in quocumque imperii Romani

loco essent constituti, tributum illud medi sicli, sive didrachma, annuè solvi solitum templo, pendere imperio.

Itaque ratiocinium Christi habet hunc sensum: Reges terræ non petunt tributum à filiis, sed tantum ab alienis; adeoque filii sunt liberi; ergo similiter Deus Pater non petit hoc tributum à me Filio suo; sed tantum à suo populo; adeoque ego sum liber.

Pròbatur, quia Christus loquebatur Petro, qui optimè sciebat, et paulò ante apertè ac liberè confessus fuerat, ipsum esse Filium Dei; adeoque rectè concludere debebat Christum esse liberum. Deinde Dominus subjungit: *Ut autem non scandalizemus eos, vado ad mare, et mitte hantum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, et te.* Igitur ideò Christus didrachma solvit ne scandalizaret eos: non autem scandalizasset eos si non solvisset tributum Cæsari, sed magis placuisset Phariseis, qui, ut docet S. Hieron., in cap. 5 Epist. ad Titum, judicabant illud tributum non esse solvendum; sed scandalizasset illos commissarii, qui faciliè erodissent illum ideò se vocare Filium Dei, ut à pendendo didrachmate esse immunis. Jussit autem Christus Petrum dare staterem pro se et ipso; quia stater facit duas didrachmas, ut docet S. Hieron., in cap. 17 *Matthæi*.

Obj. 1: Christus suo ratiocinio ab isto didrachmate pendendo etiam eximit Petrum; atque ille non erat filius Dei; ergo non agit de tributo templi.

Resp. Neg. consequ. Nam sicut non soli filii regum eximuntur à tributo, sed etiam ipsorum domestici, sic pariter non solus Christus, sed et omnes qui erant de familia, à solvendo didrachmate excipiendi erant; adeoque Petrus et ceteri apostoli erant exempti.

Obj. 2: S. P. Aug., exponens præfata Christi verba, lib. 1 Quæst. super evangelia, cap. 25, ita scribit: *Quod dixit: Ergo liberi sunt filii, in omni regno intelligendum est liberio esse (regni) filios, id est, non esse vectigales. Multò ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni illius, sub quo sunt omnia regna terræ.* Ergo, juxta S. Aug., Christus agit de tributo quod solvi debebat regi terreno, seu imperatori Romano.

Resp. Neg. consequ., quia S. doctor ibidem non dicit quòd Christus egerit de didrachmate, vel tributo solvendo imperatori Romano; sed tantum insinuat quòd ex verbis Christi ulterius, seu aliquo novo argumento possit deduci ipsum fuisse immunem etiam à tributo cujuslibet regis terreni; puta argumentando hoc modo Christus, utpote Filius Dei, fuit immunis à solvendo tributo Patri suo cœlesti; atque sub Deo Patre sunt omnia terrena; ergo et à tributis regnorum terrenorum immunis fuit. Et enim ex eo quòd filius alicujus sit immunis à tributo regi patri suo pendendo, rectè inferat quòd quoque exemptus sit à

tributis principum regi isti plene subjectorum.

Ocasione tributi quod Dominus pro se et pro Petro solverat (ut putat S. Hieron., in cap. 18 *Matth.*), vel quia Christus prædixerat suam passionem, mortem, et resurrectionem (ut putant aliqui alii), discipuli accedunt ad Christum, ab illo tamquam vocati, ut constat ex *Marci 9, v. 34*, et petunt quis futurus sit major in regno cœlorum? At Christus corripit ipsorum ambitionem, docetque humilitatem exemplo parvulorum; deinde deterret eos à dando scandalo, præcipit correptionem fraternam et remissionem offense. Sed cum circa hæc nulla particularis occurrat difficultas scripturistica; ideò ista omnia hic transilimus.

CAPUT XIX.

Christus recedit à Galilæa, et per mediam Samariam ascendit Jerosolymam ad festum Scenopogii. *Matth. 19, v. 1; Marci 10, v. 1; Lucae 9, v. 51; et Joan. 7, v. 2.* Jerosolymis exiit de se et de doctrinà à Deo accepta orationem habet. Mulierem in adulterio deprehensam dimittit, eique mandat ut in posterum diligenter abstinat à peccatis. Curat cæcum natum, variosque sermones habet, etc. *Joan. 7, à v. 14 usque ad v. 22, cap. 10.*

QUESTIO PRIMA.

An omnes evangelistæ suis respectivè locis agant de eodem recessu à Galilæa.

Pro hæc questione juvat præmittere textus evangelistarum. Dicit Matthæus, cap. 19, v. 1: *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit à Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem.* Dicit Marcus, cap. 10, v. 1: *Et die exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem.* Dicit Lucas, cap. 9, v. 51: *Factum est autem, dum compleretur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem.* Et misit nuntios ante conspectum suum: et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi. Et non receperunt eum; quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. Id est, quia non volebat cum Samaritanis celebrare festum Tabernaculorum in monte Carizim, sed in Jerusalem, juxta legem; ideò Samaritani ipsum non receperunt. Denique dicit Joannes, cap. 7, v. 2: *Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopogia. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judæam... Dicit ego eis Jesus: Tempus meum nondum advenit... Hic enim dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderent fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.*

Resp. et dico 1: Quòd Matthæus et Marcus de eodem recessu seu itinere loquantur, clarum est, quia servant eundem ordinem scribendi. Eundem etiam servat S. Lucas: nam, postquam narravit ea quæ Christus gessit in Galilæa, subjungit, ipsum, *cum compleretur dies assumptionis ejus, firmasse faciem ut proficisceretur in Jerusalem ex Galilæa per Samariam.*

Dico 2: Hæc de quo agit Joannes, cap. 7, est idem de quo agunt tres alii evangelistæ locis citatis.

tis. Ita Janseius, Baronius in Annalibus, à Lapide et alii.

Probatur, quia iter quod describit Joannes est ultimum quod fecit Christus ex Galilæa in Judæam: Atqui iter quod describit alii evangelistæ, est etiam ultimum; ergo est idem; nam non possunt esse duo ultima itinera.

Prob. maj. Joannes post narratum hoc iter, nullum amplius refert reditum in Galilæam, nec amplius aliquid narrat quod in Galilæa contigit.

Prob. et min. Quia ante illud iter (Math. 16, v. 21, et cap. 17, v. 22; item Marci 9, v. 50, et Lucæ 9, v. 44) dicit se Jerosolymam ire, ubi tradetur et crucifigetur. Denique ipse Lucas loco citato, v. 51, dicit hoc iter contigisse, *dum compleverunt dies assumptionis ejus*; id est, paulatim impleri incipienter dies seu tempus assumpti numeris predicationis ac redemptionis, juxta illud Act. 15: *Segregate mihi Saulum et Bernabam in opus, ad quod assumpsi eos*. Quoniam verisimiliter, inquit Jansenius, et phrasi congruentius accipi possint dies assumptionis in eorum, peracta passione; illa namque frequentissime et absolute assumptio Domini vocari solet, ut Act. 1, Marci 16, et alibi. Ergo statim memorati tres evangelistæ agunt de ultimo itinere.

Obj. 1^o: Juxta Matthæum et Marcum Christus ex Galilæa ivit in fines Judæe ultra Jordanem: juxta Lucam vero ivit per Samariam, firmato animo ut iret Jerosolymam; atqui juxta Joannem ivit recta Jerosolymam ad festum Scenopægiæ, quod celebrabatur circa æquinoctium autumnale, adeoque medio anno ante Pascha: nam festum Scenopægiæ seu Tabernaculorum juxta leuit. 25, v. 54, celebrabatur inter decimam quintam mensis septimi, et Pascha seu solemnitas Arzorum die decimam quintam mensis primi.

Deinde tres evangelistæ exhibent Christum ex Galilæa intrantem Jerosolymam cum triumpho, sedentem super asinam; Joannes vero ipsum exhibet intrantem tam occulte, ut multi quaerent ubinam esset, non nondum venisset, etc. Ergo iter quod describit Joannes non est idem quod describit alii evangelistæ.

Resp. Neg. conseq. Nam non omnes evangelistæ describunt singula Christi gesta, sed unus sæpe supplet quod alter omisit. Itaque res hoc ordine contigisse videtur: Christus discessit ex Galilæa, transiit Samariam, et ivit Jerosolymam ad festum Scenopægiæ, non in festo, sed infra octavam; ibique peractis, quæ narrat Joannes usque ad v. 22, cap. 10, ivit in Judæam, et misit ante faciem suam septuaginta duos discipulos, etc., Lucæ 10. Postea in hyme, in festo Enceniorum, venit iterum Jerosolymam, ubi voluerunt ipsum Judæi lapidare; quare *abit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum; et mansit illic*; Joan. 17, v. 40. Inde post aliquod tempus venit Bethaniam resuscitatum Lazarum; quo facto, ivit in civitatem Ephrem, ibique mansit occultus ferè usque ad diem sextum ante Pascha, quo venit Bethaniam. Deinde dominicam Palmarum intravit

Jerosolymam cum triumpho. Ista igitur omnia quæ jam ex Joanne narravimus, ceteri evangelistæ omiserunt, sicut Joannes quamplurima omisit quæ ipsi descripserunt.

Obj. 2^o: Joannes dicit Christum occulte, et solam in Judæam ascendisse, scilicet postquam fratres ejus ascenderant: atqui tamen, juxta Matthæum, cap. 19, v. 2, *secuta sunt eum turbæ multæ*; et quidem, juxta Lucam, cap. 9, v. 54, habebat suos apostolos secum, saltem Jacobum et Joannem; ergo non est idem iter.

Resp. Neg. conseq. Nam juxta Joannem Christus non ivit ad festum Scenopægiæ omnino solus et occulte, sed *quasi in occulto*; id est, sine turbis, quibus sæpe solebat itinerari; quia neminem, præter apostolos suos, volebat scire suum iter, ne quidem suos fratres seu proximos consanguineos: habuit enim Dominus plures consanguineos, quibus duos apostolos Jacobum minorem et Judam Thaddæum, ut constat ex Matth. 15, v. 55 et 56. Itaque ivit Jerosolymam cum apostolis, saltem aliquibus; sed dum inde post festum Enceniorum ivit trans Jordanem, tunc secuta sunt eum istæ turbæ, de quibus loco præcitato agit Matthæus.

Obj. 3^o: Apud tres evangelistas dicit Christus, paulo ante hoc iter, instare passionem suam; atqui apud Joannem, cap. 7, v. 6, dicit immediate ante istud iter, tempus suum nondum advenisse; ergo non est idem iter.

Resp. Neg. mag. Non enim dicit Christus suam passionem instare; sed tantum prædicat se multa passurum Jerosolymis, moriturum, etc. Deinde apud Joannem non loquitur de tempore passionis suæ, sed de tempore eundi ad festum Scenopægiæ.

Questio II.

Quis sit sensus verborum Christi, quæ habentur Joan. 7, v. 19, et 22.

Dum Christus infra octavam festi Tabernaculorum ascenderat in templum, ibidemque docebat, mirabantur Judæi eique indignabantur, ut patet Joan. 7, v. 15 et 25. Christus autem, volens eos refutare, incipit argumentationem, v. 19, dicens: *Nonne Moyses dedit vobis legem; et nemo ex vobis facit legem? Quid me queritis interficere?* Hæc argumentatio, v. 20, interruptur à Judæis dicentibus: *Dæmonium habes; id est, insanis vel deliras sicut possessi: Quis te queri interficere?* Porro Dominus ad hanc calumniam nihil respondens, argumentationem suam prosequitur, v. 21: *Unum opus feci*; id est, sanavi languidum in sabbato. *Et omnes miramini*; alii indignantes atque damnantes, ut v. 25; alii saltem mirum judicantes, quod non in alio die hoc fecerim; ut sic nulla in me caderet reprehensio. Deinde subjungit, v. 22. *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem... et in sabbato circumciditis hominem.* Porro ut sensus verborum v. 18 et 22 intelligatur,

Notandum est quod fatentibus omnibus, evangelista Joannes sæpe utatur hebraismis. Unde loco quod unam propositionem inferret ex aliâ, poni ferè sem-

per omnes separatas, à se mutuo independentes, et tantum conjunctas per particulam et, v. g., quasi aliquis argumentaretur hoc modo: *Et Petrus est homo, et omnis homo est animal, et Petrus est animal, ad significandum: Cui omnia homo sit animal, et Petrus sit homo, Petrus etiam est animal.* Sic, cap. 1, v. 5 et 6, dicit: *Et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes*, ad significandum: *Cum tenebræ eam non comprehendissent, fuit homo missus, etc.* Nam caritas hominum, quam vocat tenebras, fuit causa cur Deus miserit Joannem Baptistam, ut testimonium perhiberet de lumine. Similiter etiam, cap. 14, v. 12 et 15, dicitur: *Quia ad Patrem vado. Et quocumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Quia nempe ista presentia Christi apud Patrem efficit ut ab illo obtineat quod ipsi precibus suis petierint. Item cap. 17, v. 25 et 26: *Hi cognoverunt quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum.* Id est, cum notum fecerim. Et postea: *Ut dilectio quâ dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis*, ad significandum: *Quia ego sum in ipsis tanquam caput in membris.* Itaque

Resp. et dico 1^o: Sensus verborum v. 19, est hic: *Nonne Moyses dedit vobis legem, et cum nemo ex vobis faciat legem, quid me queritis interficere?* Hic sensus est clarus, et

Probatur, quia aliæ explicationes non videntur subsistere; nam exponunt præfata verba, tanquam Christus dixisset: Vos etiam legem non observatis, dum vultis me occidere; nam lex æquè dicit: *Non occides*, ac: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Atqui hoc ratiocinium est Christo planè indignum, et simile huic alioquin furis ad supplicium damnati, qui diceret judici: *Æquè prohibetur occidere ac furari; ergo tu judex æquè violas legem, jubendo me suspendi, ac ego furando.* Deinde simile ratiocinium Christi facillimè subvertissent Judæi, dicendo: Non est in lege prohibitum, sed est præceptum, Exodi 31, v. 14, occidere violatores sabbati, sicut etiam fecit Moyses, Numer. 15, v. 56.

Dico 2^o: Circa versum 22 movetur difficultas ob dictionem *propterea*. Euthymius putat illam esse superfluum, et nullo modo atinere ad sensum; Theophylactus verò existimat conjungendam esse cum verbis immediate precedentibus hoc modo: *Unum opus feci, et omnes miramini propterea.*

Sed codices Latini et Græci ponunt punctum inter *miramini* et *propterea*; ac proude cum precedentibus seu cum *miramini* conjungi nequit. Alii variis modis præfatum versum explicant; sed cum auctore Analyses

Observandum est hic iterum reperiri hebraismum; id est, modum loquendi Hebræis usitatum, qui aliunde particula juxta naturalem constructionem non debet poni in initio, quæ respicit aliquam dictionem longè remotam. Tale quid habetur 4 Cor. 14, v. 7: *Tamen quæ sine animâ sunt vocem dantia, sive titia, sive cithara: nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo*

scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Ubi etiam tamen respicit verbum *dederint*, et ordine constructionis poni debet ante *et distinctionem*; et tunc habet clarum sensum, ut patet consideranti. Ita similiter hic et *propterea* respicit verbum *circumciditis*, et recto ordine constructionis poni debet immediate ante, in sabbato, ita ut sensus sit: *Cum Moyses dedit vobis præceptum circumcisionis faciendæ octavo die, propterea in sabbato circumciditis, si sit dies octava.* Itaque

Dico 3^o: Totus textus tum versùs 19, tum 22, reducit ad hoc ratiocinium: *Nonne Moyses dedit vobis legem, scilicet sanctificandi sabbatum, æquè ac mihi? Cum tamen nemo ex vobis faciat legem, cum nemo ex vobis illam legem plus observet quam ego, quid me queritis interficere?* Nonne ergo videtis quod si ego sim reus mortis propter violatum sabbatum, verbo sanando paralyticum triginta octo annorum, vos sitis amplius rei, quia violatis sabbatum circumcidendo vestros infantes? Non est ergo justum ut me velitis interficere propter rem quam vos æquè facitis ac ego.

Sicuti ergo putatis quod non peccetis violatum sabbatum per circumcisionem, quia nempe hoc faciis ad observandam aliam legem Moysi præcipientem, ut masculus circumcidatur præcis octavo die post natiuitatem suam, in quacumque diem septimanæ incidet; *propterea enim in sabbato circumciditis hominem, quia Moyses dedit vobis circumcisionem.* A pari ergo ju, dicare debetis quod ego non peccaverim violando sabbatum per sanationem totius hominis, quia nempe hoc feci ad observandam aliam legem, scilicet naturæ, quæ obligat unumquemque, tam diebus sabbati quam aliis, proximo suo benefacere: nam ubi plura præcepta simul concurrunt, præceptum positivum debet cedere præcepto naturali.

Urget ergo Christus hanc paritatem à fortiori. 1^o Si præceptum positivum Moysi de nullo omnino opere faciendi in sabbato, debeat cedere præcepto circumcisionis, quia hoc est antiquius illo; nam non venit propriè ex Moysè, sed ex patribus, ut ibidem Christus addit; à fortiori illud præceptum debet cedere præcepto naturali de adjuvando proximo. 2^o Meum opus est minus quam vestrum; nam vos circumcidendo laboratis manibus: ego verò sanando istum hominem, tantum locutus sum verbum; ergo vos plus violatis sabbatum quam ego. 3^o Meum opus est utilius: Vos enim in sabbato laeditis hominem in uno membro; ego verò sanavi hominem, et quidem in omnibus membris: ergo male *nihil indignamini, quia totum hominem sanavi feci in sabbato.* 4^o Ego tantum unum opus feci, et omnes miramini: vos autem tot opera facitis in sabbato quot nascuntur masculi in sabbato: ergo, etc.

Observa quòd, quamvis Dominus fuerit sæpè accusatus quod violasset sabbatum, tamen nullibi negaverit suum opus esse violationem sabbati; sed semper probaverit suam violationem esse licitam, nunc ab exemplo sacerdotum, qui in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt; nunc allegando suam auctoritatem, Dominus est Filius Hominis etiam sabbati, Math. 12, v. 5 et 8.

Petes quænam lex sit intelligenda, dum Christus Joan. 7, v. 23, dicit: *Si circumcisionem accepit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi?*

Resp. non posse intelligi legem sabbati, quia tunc deberet poni: *Ita ut non solvatur lex*; sed hinc sensus obstat textus Græcus, qui habet: *Ne solvatur*. Debet ergo intelligi lex circumcisionis, et tunc sensus est hic: si circumcisionem accepit homo in sabbato, ne solvatur lex Moysi de circumcisione, a fortiori potest homo sanari in sabbato, ne solvatur lex, seu ne peccetur contra legem naturæ de charitate erga proximum.

QUESTIO III.

Quid censendum sit de historiâ Mulieris adulteræ.
Postquam Christus in diebus festivitatis Scenopie iteratâ doctrinam suam in templo tradidisset, perrexit in montem Olivet, ait Joannes, cap. 8, v. 1. *Et diluculo iterum venit in templum*, ibidem v. 2. Scribæ autem et Pharisei mulierem in adulterio deprehensam in medio statuunt; quam cum nemo accusantium ausus fuisset condemnare aut lapidare, Jesus ei dicit v. 14: *Nec ego te condemno*. Quibus verbis, inquit S. Ambros., epist. 76, *dimittitur mulier, non absoluitur, quia deest accusator, non quia innocens approbatur. Quid ergo quaerentur, qui priores a persecutione, et ab executione supplicii destiterunt?*

Resp. et dico: Totum quod Joannes habet de muliere adulterâ est verè canonicum, seu Scriptura sacra.

Prob. 1^a ex concilio Tridentino, sess. 4, dicente: *Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro Sacris et Canonicis non susceperit, anathema sit*. Atqui historia mulieris adulteræ legi consuevit in Ecclesiâ catholica, et habetur in veteri vulgata Latina editione, tanquam pars Evangelii Joannis; ergo, etc.

Prob. 2^a ex antiquis patribus, qui istam historiam verè sacram esse Scripturam testantur. S. Hieron., lib. 2 contra Pelagianos, cap. 6, dicit: *In Evangelio secundum Joannem in multis et Græcis et Latinis codicibus invenitur de muliere adulterâ, quæ accusata est apud Dominum*. Item S. Ambros., epist. 76, ait: *Semper decantata questio, et celebris absolutio fuit mulieris ejus, quæ libro Evangelii secundum Joannem adulterii re obolata Christo est*. Eadem historia verè et canonice Scriptura recipitur à S. P. Aug., tract. 33 in Joan. Et lib. 2 de adulterinis Conjugiis, cap. 7, idem S. doctor ita scribit: *Sed hoc videlicet infidelium sensus abhorret (nempe reconciliari mulieri adulteræ per penitentiam emendatâ) ita ut nonnulli modice fidei vel potius inimici verè fidei, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulterâ indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis: quasi per missionem peccandi tribuerit qui dixit: Jam desine peccare; aut idèo non deberit mulier a medico Deo illius peccati remissione sanari, ne offenderetur insani.* Citatur etiam ista historia à

S. Gregor., lib. 4 Moral., cap. 40, ab Athanasio in Synopsi, et à S. Chrysost., hom. 60 in Joan., et jam à totâ Ecclesiâ. Ergo est vera et canonica Scriptura.

Dicit: Theophylactus et varii alii Græci auctores in suis Commentariis in Joan., istius historie non meminissent; ergo à Joanne, qui Græcè scripsit, scripta non fuit. Unde Euthymius, qui primus ex Græco illam exponit, addit et admonet quod in emendatioribus Græcis exemplaribus non habeatur, et quod in illis in quibus habetur, notata sit obola, tanquam postea adjecta. Euthymius autem floruit in initio seculi duodecimi; adeoque ejus tempore nondum habebatur.

Item Eusebius, lib. 5 Histor. ecclesiast., cap. 39, dicit illam historiam additam esse à Papâ Joannis Evangeliste discipulo, qui illam ab ipso narrari audiverat; additque illam haberi in apocrypho Evangelio secundum Hebræos. Sic enim scribit de Papâ: *Historiam quandam subiungit de muliere adulterâ, quæ accusata est apud Dominum à Judæis. Habetur autem in evangelio quod secundum Hebræos dicitur, scripta hæc parabola.*

Resp. non mirum esse quod in quibusdam exemplaribus, in quæ præfati Græci auctores inciderunt, hæc historia fuerit omisa; quandoquidem, ut ex S. P. Aug. jam audivimus, nonnulli inimici verè fidei eandem de codicibus suis abstulerint. Attamen cum D. Hieron. et alii supra citati Patres dicant quod in multis, et Græcis et Latinis, codicibus eorum tempore inveniretur, verum non est quod in initio seculi duodecimi necdum in Evangelio habebatur, aut admittitur tanquam canonice Scriptura.

Dicendum igitur quod illa historia, quæ primum in Joannis veterioribus exemplaribus exstabat, è quibusdam codicibus detracta sit hominum imprudentiam temeritate, ne mulieribus adulteris, in quas erant superiores seculares leges, peccandi licentia et impunitas in Evangelio data putaretur.

Ad id verò quod additum fuit ex Eusebio, sciendum est illum textum in editione Latina esse male translatum: sic enim ex Græco sonat: *Exposuit et Papas aliam historiam de muliere accusatâ de multis peccatis apud Dominum, quam Evangelium secundum Hebræos continet*. Ubi non est certum quod agat de muliere accusatâ adulteri; nec etiam dicit quod illa historia fuerit postea Evangelio inserta.

Petes quomodo Dominus dicat: *Qui sine peccato est vestram, primus in illam lapidem mittat.*

Resp. Certò id non intelligit de eo qui sine ullo peccato est: nam talis non datur. Nec etiam dici potest quod intelligat de illo qui est sine ullo peccato mortali; quia tunc iudices, rei, v. g. fornicationis, non possent punire homicidam. Quare verisimilius est omnes illos scribas et Phariseos fuisse reos adulteri, sed occulti; et sic sententia Christi est plena sapientiâ, quasi diceret: Quomodo audietis petere mortem adulteræ, vos qui estis æquæ, aut magis adulteri quam ipsa? Si enim ipsa debeat lapidari, etiam et vos debetis lapidari; nam ut dicit Apostolus ad Rom. 2,

v. 1: *In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim quis que iudicas*. Et v. 21: *Qui alium doces, teipsum non doces: qui iudicas non furandum, furaris; qui dicit non moechandum, mocharis, etc.*

Quid autem Dominus in terrâ scripserit, certò sciri non potest; est tamen verisimile quod primò scripserit eandem sententiam: *Qui sine peccato est vestram, etc.*, quam deinde erectus ore protulit, et tunc secundâ vice in terra scripserit ipsorum occulta adulteria, ita ut quilibet legeret sua tantum, non alterius.

Ratio hujus est quod illi, quamvis frementes in Christum invidia, mox obmutuerint, et rubore confusi unus post alium abierint; aliâ certò simul abivissent, et in ter se contulissent quid agendum.

QUESTIO IV.

Quid significet: PRINCIPIMUM, QUI ET LOQUOR VOBIS.
Dixerat Dominus incredulis Judæis: *Si non creditis quis ego sum, moriemini in peccato vestro*, Joan. 8, v. 24. Sed cum ipsi ista verba non intelligerent, v. 25: *Dicebant ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui et loquor vobis*. Sensus naturalis, qui ipso facto occurrit in oculos, videtur esse hic: Ego sum principium, in divinis simul cum Patre, Spiritûs sancti; in creatis verò principium rerum omnium, qui tamen, sen etiam loquor vobis. Vel sic: Ego qui vobis loquor, sum principium omnium creaturarum.

Hæc explicatioem dicit auctor Analysis esse communem interpretationem omnium fore interpretum Latinorum modernorum, quam tamen ipse ob varia motiva rejicit, ac multis ratiociniis evolvere conatur, de quibus agemus in solutionibus argumentorum. Inter hæc autem præcipuum ipsius motivum videtur esse quod *principium Græcè habebatur in accusativo, qui casus non potest quadrare isti interrogationi: Tu quis es? Itaque ille auctor aliam dat explanationem, et sumit *et principium adverbialiter pro primo, vel ante omnia: quia accusativus ille Græcus potest sumi adverbialiter; idque admittit à Lapide cum aliis. Unde jam in textu Græco, ut dicunt, habetur: A principio, quod iterum Græcè significare potest: A primo, primo, ante omnia, ubi prædictus auctor multis exemplis, è lingua Græcâ petitis (si nempe sit propositio affirmativa, qualis est ista propositio Christi) probare conatur.**

Igitur juxta ipsam illa Christi locutio debet considerari, ut figurata, et quidem conjuncta cum aliquo motu, v. g. animi irati; et debet subaudiri aliquid quod ex accepto et modo loquendi, facillimè concipitur ab audiente; sicut dum irati dicimus: *Si hoc adhuc semel feceris, ego te; subauditur: Pali vel tali modo puniam*. Tale quid etiam est illud Joan. 6, v. 65: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Subauditur: Quid factis vel dicatis? Item c. 21, v. 21, dicit Petrus Christo de Joanne: Domine, hic autem quid? Supple de eo fact?*

Sensus ergo verborum Christi est hic: *Primo, ante omnia attendite quid vobis loquar, priusquam petatis quis sim*. Nam ut dicit ille auctor, Christus ibi non vult respondere Judæis; sed eorum importunam interrogationem

cum vehementiâ rejicit, quia interrompebat filium ejus discursus, et statum disputationis, ac attentionem Judæorum avertebat à terribili illâ veritate quam volebat ipsis insinuare, et illam convertebat ad questionem quæ non erat hujus loci. Dominus ergo retinet ipso intra terminos materie propositæ; et in motu capitis, lingue, etc., supprimit unum verbum, quod tum ex motu corporis, tum ex modo loquendi facillimè subintelligitur. Sic et nos aliquando in æstu disputationis dicimus: *Hoc primum, quod et loquor vobis; subintellige: Agite, vel respondete, etc.*

Hanc interpretationem probat auctoritate S. Chrysostomi, qui, utpote Græcus, inquit, melius novit vim et energiam lingue suæ maternæ, quam Latini. Jam autem hic S. doctor commentans in præcitatum Scripturæ locum, hom. 52 in Joan., ita scribit: *Et o dementiam, post tantum temporis, tot miracula et tantam doctrinam, quis sit interrogat? Quibus Christus: Principium qui et loquor vobis. Hoc est, sanè indigni esis qui sermones meos audiat, et qui sciam intelligatis. Vos ut me tenetis semper loquimini, cum mihi autem non attenditis, et in his omnibus vos reprehendere nunc possim; hoc enim significat: Multa habeo de vobis loqui, et judicare: Non tantum reprehendere, sed punire. Sed qui misit me: Hoc est, Pater non vult hoc. Et paulò infra agens de versu 28 dicit: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum: Ostendit se merito dixisse principium, qui et loquor vobis. Usque adeo non attendebant ad ea que dicebantur.**

Attamen quomodo verba S. Chrysost. continueant sensum prædicti auctoris, non ita facillè concipiuntur: Nam imprimis non est ibi stricta interpretatio verborum Christi; sed potius explicatio et amplificatio, ut solent facere concionatores. Etenim quod S. Chrysost. verba Christi tantum latius explicet, et amplifcet, patet ex subsequentiis verbis: *Hoc est, Pater non vult hoc, quæ certò non sunt stricta interpretatio illorum verborum Christi: Sed qui misit me, at mera eorumdem amplificatio. Præterea Chrysost. non habet: Ante omnia id, nec etiam id primum (uti tamen præfatus auctor illum habere contendit) sed habet verba Christi præcisè sicut sunt apud Joannem in textu Græco; et ejus interpres Fronto Ducaeus, ex ejus translatione statim verba S. Chrysost. citavimus, illa verbi Latine: *Principium, qui et loquor vobis*. Unde natus ibi fides auctoris Analysis, utpote qui longè aliter citat verba S. Chrysost. quam à parte rei sunt, dum dicit ipsam loco, *principium, qui et loquor vobis, habere: Ante omnia id quod loquor vobis*. Et in explicatione versûs 28: *Id primum quod et loquor vobis*.*

Denique illius auctoris interpretatio est omninò dura, et prorsus contorta: siquidem juxta istam interpretationem verba Evangelii ita debent poni: *Tu quis es? Dixit Jesus: Primum, qui et loquor vobis*. Quomodo ibi potest subaudiri: *Attendite, etiam adhibito quocumque æstu corporis? Ut enim subaudiatur, repugnat ipsa constructio: Primum attendite, qui et loquor vobis*.

Fortè dicit quod debeat ulterius subaudiri: *Quid*

dicam, hoc modo: Primum attendite quid dicam, qui loquor vobis. Sed tunc omittit particulam *et*, quae in textu aequivaleret particulæ *etiam*, quod istum sensum reddidit aliquo modo ineptum. Deinde movent grammatici quod omnis metaphora, et alia figurata locutio debeat esse usitata, quales sunt illæ quas supra, ex Joan. 6, v. 65, et ex c. 21, v. 21, retulimus. Sed talis ac tanta subauditio, qualem ipse vult subaudiri in textu, de quo tractat præsens questio, nullo modo est usitata.

Adde quod à vero quoque prorsus alienum sit Christum dicendo: *Principium, qui et loquor vobis*, Judæos voluisse retinere intra terminos materiæ propositæ; et ideò suppressisse unum verbum quod ex motu corporis, etc., subintelligatur: siquidem discursus Christi præcedens erat finitus et completus, saltem quoad terribilem illam veritatem: *Si non credideritis quia ego sum, morieturini in peccato vestro*: nam de illa postea non amplius loquitur, sed pergit benignè docere quod sit Filius Dei, quod sit ille, qui est. Patet id ex eo quod si non addatur textui præfata illius auctoris subauditio, Dominus totam suam comminationem finiat, et deinde transgreditur ad alia. Sic enim habet textus: *Dixi ergo vobis quia morieturini in peccatis vestris*: si enim non credideritis quia ego sum, morieturini in peccato vestro... (omittantur hic interrogatio Judæorum et responsio Christi). *Multa habeo de vobis loqui, et iudicare, sed qui me misit, verax est.*

Confirmatur. Catechista instruens Judæorum, benè pergeret hoc modo: *Si non credideris Filium Dei pro nobis esse incarnatum et mortuum, damnaberis*. Dicit Judæus: *Quis fuit ille Filius Dei?* Respondet catechista: *Jesus Nazareus. Multa alia habeo tibi dicenda, sed hæc sufficiant pro hæc vice. Hoc ergo tibi dico: Crede quod Filius Dei sit incarnatus, etc.* Atverò nec satis patienter, nec satis benè ille catechista Judæo interroganti: *Quis fuit ille Filius Dei?* Responderet: *Quid semper interrogas? Primum attende quid dicam. Multa alia habeo tibi dicenda, sed ego te doceo quæ sunt vera.*

Cum igitur, ut ex hucusque dictis patet, explicatio auctoris Analyseos nullo modo subsistere videatur, retinenda est communis interpretatio supra allegata, videlicet quod sensus præfatorum verborum sit hic: Sum principium omnium creaturarum, qui etiam per assumptionem humanitatem vobis loquor.

Probat, qui sic supra memorata Christi verba intellexerunt SS. Patres. S. Ambros., lib. 5 de Fide, cap. 4, dicit: *Ex hoc Deum se probavit æternum, & quia omnium ipse principium est, et unicusqueque virtutum auctor est, quia Ecclesie caput est, sicut scriptum est ad Coloss. 1: Ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Et lib. 6 Hexamer., cap. 2, citans præfata Christi verba ait: *Ut cognoscere Deum esse initium universorum, sicut in Evangelio dicitur, initium quod et loquor vobis.* S. P. Aug., lib. 1 de Gen. ad lit., cap. 5, dicit: *In principio creaturæ intellectualis est æterna Sapientia. Ideoque rogatus Dominus quis*

esset, respondit: Principium, qui et loquor vobis. Et lib. 5 de Trin., cap. 15, principium dicitur filius, cum enim diceretur ei: *Tu quis es?* Respondit: *Principium, qui et loquor vobis.* Creatorem se quippe ostendere voluit, cum se dixit esse principium. Item, lib. 11 Confess., cap. 8: *Verbum principium est, qui et loquitur nobis.* S. Fulgentius, lib. 2 ad Transmundum dicit: *Dominus interrogantibus Judæis, principium se esse affirmavit dicens: Principium quod et loquor vobis.* Eandem interpretationem sequuntur S. Bernardus, lib. 3 de Consideratione, Lyranus, Dionysius Carthusianus et alii.

Neque ad auctoritatem patrum jam citatorum responderi potest cum auctore Analyseos quod tantum dicant quid credant, vel quam fidem habent: non verò quid Christus intellexerit aut dicere voluerit; siquidem si tali modo liceat respondere ad SS. Patres, poterit etiam dici quod, dum ipsi ex verbis Christi: *Ego et Pater unum sumus*, ostendunt contra Ariasem Filium esse consubstantialem Patri, nihil probent, nihil convincant, sed tantum dicant quid credant; non verò quid Christus per ista verba intellexerit, aut dicere voluerit. Atqui tamen hæc responsio certò non subsistit; ergo nec subsistit responsio auctoris Analyseos.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1^a: In textu Græco seu originali principium non est nominativus, sed accusativus casus: siquidem non habetur, ἢ ἀπερὶ, sed τὸ ἀπερὶ. Atqui accusativus casus non potest quadrare isti interrogationi Judæorum: *Tu quis es?* Ergo expositio præfatorum Patrum, quos nos hic sequimur, non est admitenda.

Resp. Neg. min. Quia in textu Græco subauditur aliquid, scilicet verbum, *credite*, aded ut sensus verborum Christi juxta textum Græcum videatur esse hic: *Dixi vobis: Si non credideritis quia ego sum, morieturini in peccato vestro, vos autem à me petitis: Tu quis es?* Id est, quem vel quid te esse credemus aut credere debemus? Ego verò dico: *Principium, qui et loquor vobis.* Id est, principium me esse credite, qui etiam vobis loquor. Et sic patet quod isto accusativus Græcus satis benè quadret interrogationi Judæorum.

Hanc solutionem ad textum Græcum dat S. P. Aug., tract. 58 in Joan., ubi interrogationem Judæorum, et responsum Christi interpretatur hoc modo: *illi et quid ei dixerunt: Tu quis es? Non enim cum dixisti: Nisi credideritis quia ego sum, addidisti quod esset. Quis es ut credamus? Et ille, Principium... qui et loquor vobis. Principium me credite, ne morieturini in peccatis vestris. Tanquam enim in eo quod dixerunt: Tu quis es, nihil aliud dixerint quam quid te esse credemus: respondit: Principium. Id est principium me credite. In Græco namque eloquio discernitur, et quod non potest in Latino... Cum ergo dicerent Judæi: Tu quis es? Ille quia sciebat esse ibi quosdam incredulos, et ideò dixisse: Tu quis es, ut scirent et quid illum credere deberent, respondit: Principium; non tanquam diceret: Principium sum; sed tanquam*

diceret: *Principium me credite...* Velut si vellet dicere se esse veritatem; et dicentibus: *Tu quis es,* responderet: *Veritatem;* cum videatur ad id quod dictum est: *Tu quis es,* respondere debuisse: *Veritas,* id est, *veritas sum*: Sed alitè respondit cum videtur eos ita dixisse: *Tu quis es,* ac si dicerent: *Quoniam abs te audivimus, nisi credideritis quia ego sum, quid te esse credemus?* Ad quod respondit: *Principium: tanquam diceret: Principium me credite.* Et addidit, *qui et loquor vobis*, id est, quia humilis propter vos factus ad ista verba descendit. Ita S. Augustinus.

Inst. 1^a: S. Augustinus vult illum accusativum Græcum regi à verbo præcedenti: *Nisi credideritis.* Atqui hoc admitti nequit: siquidem juxta nullam grammaticam potest valere hæc constructio, mutato, v. g., τὸ ἀπερὶ principium in τὸ sapientiam, hoc modo: *Si enim non credideritis quia ego sum, morieturini in peccato vestro.* Dicebat ergo ei: *Tu quis es?* Dixit eis Jesus: *Sapientiam, qui et loquor vobis.* Illa, inquam, constructio non videtur valere, eò quod vox, *sapientiam*, non possit regi à verbo *credideritis*, tum quia nimis procul distat, et sensus finitur in τὸ ἢ ἢ peccato vestro; tum maxime, quia post *credideritis* sequitur nominativus, *ego sum*. Quamvis enim hæc constructio valeat: *Credite me esse sapientiam, non tamen valet hæc: Credite quia sum sapientiam.* Ergo responsio seu solutio S. Augustini non subsistit.

Resp. Neg. maj. et conseq. Nam S. Pater non dicit quod accusativus ille Græcus regatur à verbo *credideritis*, immediatè; sed tantum ait quod vi istius verbi, in responsione Christi possit subaudiri *credite*, à quo subauditò τὸ Principium, in accusativo positum, propriè et immediatè regi dicitur. Nec obstat quod post *credideritis* sequatur nominativus: *Ego sum*; quia Christus hoc non dixerat ad significandum se existere; nam Judæi satis credebant quod existeret; quandoquidem ipsum viderent et loquentem audirent: sed usus est verbo *sum* eo modo, quo isto verbo usus fuit Angelus, Exod. 5, v. 14, nomine et vice Dei dicens ad Moysen: *Ego sum qui sum*; adeoque per hoc voluit Christus significare suam essentiam seu divinitatem. Cum autem Judæi non satis benè apprehenderent quid per illa verba: *Quia ego sum*, significare vellet, rursus interrogant: *Tu quis es?* quæ interrogatio insinuat: *Quid debemus credere te esse?* Et sic in responsione Christi satis clarè subauditur verbum, *credite*, à quo accusativus ille Græcus immediatè regitur, ut liquet ex supra citatis S. Augustini verbis; quod ideò ad longum retulimus, ut noscatur quemnam in hæc materiâ sit mens S. doctoris. Et sanè talis subauditio satis usitata est; atverò subauditio quam astruit auctor Analyseos, nullo modo est usitata; ut ex supra dictis liquet.

Inst. 2^a: In textu Græco, loco qui habetur *quia*; nam loco ἢ, ponitur εἰ, et ante voces τὸ ἀπερὶ, subauditur ἢ, quemadmodum subauditur, dum Græci dicunt, τὸ τὸ εἰ, id est, *finem*. Sicut igitur in hæc con-

structione *finem* sumitur adverbialiter, et idem significat ac *tandem, denique, in fine*; ita similiter *principium* in textu Græco videtur sumi adverbialiter, et idem denotare ac, *juxta principium*, vel, *à principio*, aut, *in principio*, supple, *ego sum*. Ergo in responsione Christi non potest subaudiri verbum, *credite*, et consequenter responsio S. Augustini non subsistit.

Resp. Neg. conseq., quia vox ἀπερὶ potest æquè benè sumi substantivè ac adverbialiter; nam in textu nihil est quod denotat illam vocem debere sumi adverbialiter. Deinde etiamsi sumatur adverbialiter, adhuc potest subaudiri, *credite*; quia hoc subauditò sensus erit: *A principio, aut in principio credite me esse*; nam potest tam benè subaudiri, *me esse, ac, ego sum*. Interim si quis mali subaudire, *ego sum*, tum sensus erit: *Ego sum à principio, id est, ab æterno*; adeoque ante Abraham, ut ait v. 58. Et ideò omni tempore prior sum, qui, vel, quia (in idem sensum redit, ait Jansenius) *et, sive etiam loquor, sive dico hoc ipsum vobis, quando dixi: Ego sum.* Hic autem sensus vulgato textui maxime vicinus est, et in se non differt à sensu S. Aug. aliorumque Patrum supra citatorum. Etenim sive Christus per præfata verba intendit significare: *Sum principium omnium creaturarum, sive: A principio ego sum, sive: Credite me esse principium, quoad substantiam verborum semper manet idem sensus.* Imò etiamsi in textu Græco poneretur: *Ante omnia, ut contendit auctor Analyseos, adhuc maneret idem sensus; quia ante omnia potest habere eandem significationem, quam habet principium; nam sum ante omnia, et sum principium idem ferè significant.*

Obj. 2^a: Ex nostrâ interpretatione sequitur quod Christus ibi respondeat Judæis: atqui non respondet; ergo, etc.

Prob. min. Christus non debebat respondere Judæorum interrogationi. 1^a Quia secundum Patres Græcos illa interrogatio erat demens et perversa. 2^a Quia non proveniebat ex corde sincero et avido cognoscendi veritatem, sed ex intentione refutandi illud quod antea dixerat: *Si enim non credideritis quia ego sum, etc.* 3^a Quia erat importuna, et non veniebat ad rem. Ergo nulla est apparentia quod hominibus taliter dispositis voluerit aperire tam sublimè mysterium fidei.

Adde quod Judæi non sine furore istam responsionem audissent, cum in fine v. 59 voluerint ipsum lapidare propter responsum nimis offensivum: cur enim cepissent lapidari, dum dixit se seniorem Abrahamo, et non toties cepissent, dum dixit se esse principium? Ita auctor Analyseos.

Resp. Neg. min., et ad ejus probationem dico Christum sæpè respondisse ubi non tenebatur, et quidem ad interpretationes perversas ac captiosas, et ex perverso corde provenientes. Sic Joan. 8, respondit ad ducentibus mulierem adulteram; Math. 9, respondit Pharisæis murmurantibus quod cum peccatoribus manducaret. Item c. 16, petentibus miraculum, et c. 22, petentibus an liceat dare censum Cæsari. Et ibidem interrogavit *quis unus ex eis tentans eum*, cui tamen Dominus respondit. Ergo et hic non dedignatus est

respondere, maxime cum valde opportune peterent quis esset; nam dixerat: *Si non crederitis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*, et non adeo clare dixerat aut qui quid esset; ergo maxime ad rem, et maxime opportune petebant quis esset, sive quid deberent de ipso credere, ut non morentur in peccato suo. Unde Evangelista addit, v. 30: *Hæc illo loquente multi crediderunt in eum*. Et propter hos præsertim quos credituros esse prævidebat, Christus respondere voluit qui aut quid esset, ut supra ex S. Aug. audivimus.

Nec obest quod responsio Christi contineat sublime mysterium, quia v. 38, Judæis, non jam furore plenis sed plenissimis dicit: *Antequam Abraham fieret, ego sum* *Ubi est, ego sum*, continet idem aut majus mysterium. Vide theologos de essentiali Dei.

Deinde illud: *Principium, qui et loquor vobis* verissimiliter non satis concipiebant; sed illud: *Ego sum*, jam secunda vice repetitum, optime concipiebant; quia erat nomen, quo Deus seipsum appellaverat, Exodi 3, ubi Moysi petenti nomen suum, respondit v. 14. *Ego sum qui sum... sic dices filiis Israel: Qui est misit me*. Cum ergo Christus non responderet juxta naturalem constructionem: *Antequam Abraham fieret, ego fui*, sed, *ego sum*, Judæi intellexerunt quod sibi attribueret nomen Dei; de quo, quando dixit primam vice: *Ego sum*, poterant dubitare.

Obj. 3. Judæi petunt ejus nomen, ejus conditionem, non verò ejus etatem; ergo non potuit Christus dicere: *Ego sum à principio*, vel: *Ego sum ante omnia*; nam hoc non petebant. Etenim interrogato et responsio debent in casu et in cæteris convenire. Ita præfatus auctor.

Resp. Neg. ant. et conseq. Nam nomen ejus *Jesus*, patriam ejus Nazareth, et conditionem ejus, scilicet putativum filium fabri Joseph, optime sciebant. Sed petendo: *Tu quis es?* Petebant quis esset potestate et auctoritate. Cui interrogationi bene quadrat hæc responsio: *Ego sum principium*, scilicet rerum omnium. Vel: *Ego sum ante omnia*; id est, sum illud ens quod est æternum, immensum, natum semper, et ante Abrahamum, etc. Itaque cum *à principium*, esse à principio, sive ipsum esse sit nomen, et conditio maxime distinctiva divinitatis; item *principium*, à principio sit nomen proprium Filio in divinis: est enim à principio, scilicet à Patre, vel ab æterno; et est principium, videlicet Spiritus sancti, et etiam omnium creaturarum: Christus ad indicandam potestatem et auctoritatem suam, rectè respondit: *Ego sum principium, ante sum à principio*.

Obj. 4. Ista explicatio est contra stylum S. Joannis: nam ipse semper addit pronomen, *ego*, dum inducit Christum loquentem, quamvis illud pronomen sufficienter intelligatur in verbis primæ personæ. Et quidem habet illud pronomen in suo Evangelio centies et trigentes, et in capite 8 vigesies et ter; ergo non induci illi Dominum respondentem: alias contra stylum suum suppressisset pronomen, *ego*, et verbum, *sum*. Ita rursus auctor Analyseos.

Resp. Neg. ant. ejusque probationem: Nam, quamvis cap. 8 cum verbis in primâ personâ exprimat particulam *ego* vigesies et ter, tamen vigesies et bis illam suppressit; ergo ex argumento proposito nequaquam sequitur quod nostra explicatio sit contra stylum S. Joannis. Deinde similia non sunt contra stylum alicujus auctoris; aliâ nullus auctor haberet stylum, cum nullus sit, qui phrasim suam aliquando non mutet. Unde Joannes non nisi senel post verbum personæ (saltem usque ad caput 9) ponit verbum sequens in infinitivo, subaudiendo quod; sed semper exprimit particulam quod vel quia, ut cap. 8, v. 24: *Si enim non crederitis quia ego sum*. Item, v. 37: *Scio quia filii Abraham estis*. Et tamen inde non sequitur quod hæc verba cap. 9, v. 22: *Si qui eum confiteretur esse Christum*, sint contra stylum ejus, et per consequens non sint ab ipso composita, quia pro more suo non dixit: *Si qui confiteretur quia ipse est Christus*. Ergo nec sequitur quod scripsit contra stylum suum, dum cap. 8, v. 23 suppressit particulam *ego* et *sum*.

QUESTIO V.

An vera sint verba cæci nati, quæ habentur Joan. 9, v. 51.

Cap. 9 narrat evangelista Joannes mirabilem illuminationem ejusdem hominis mendici, qui erat cæcus à nativitate, qui, postquam ejus oculi miraculose fuissent à Christo aperti, compulsus in concilio Judæorum, ut fateretur Jesum non esse Messiam, sed hominem peccatorem, tantâ constantiâ et audaciâ respondit, et Christum contra ipsorum calumnias defendit, ut nullus discipuli Christi, ante ejus ascensionem simile exemplum habeatur: tot etiam rationibus ipso confudit, ut respondere non poterint. Sed inter alia dicit, v. 50 et 51: *Hoc enim mirabile est, quia vos necitis unde sit, et aperuit meos oculos: scimus autem quia peccatores Deus, non audit*. Hæc posteriora verba primò intuitu videntur falsa: nam Deus certò exaudit peccatores penitentes. Sic exaudivit publicanum dicentem: *Deus, propitius esto mihi peccatori*. Exaudivit Magdalenam sentem, latronem in cruce pendentem, etc. Sæpè etiam exaudit peccatores non penitentes, et ipsi aliquando concedit iratus, ut dicit Augustinus, quod negaret propitius. Unde non laborant interpretes, ut verba cæci defendant, cum non sint Scriptura sacra, sed tantùm à Scripturâ sacrâ relata seu narrata: Interim

Resp. et dico: Verba illius cæci sunt vera in sensu in quo illa protulit. Unde non poterunt illi amplius respondere Pharisei.

Probatur, quia sensus est: Deus non exaudit peccatores ad hoc, ut per verum miraculum peccata sua et errores confirmet; atqui hoc docent omnes theologî, utpote qui unanimiter assentunt quod non possint fieri miracula in confirmationem erroris; ergo, etc.

Prob. maj., quia Christus illud miraculum fecerat in confirmationem suæ doctrinæ quam Judæi contenebant esse erroneam, peccaminosam, contra legem Moysis, etc. Ergo ex circumstantiis in quibus verba

ista fuerunt prolata, satis patet sensum illorum esse quod Deus non exaudit peccatores ad hoc, ut per verum miraculum peccata sua et errores confirmet.

CAPUT XX.

Christus egressus Jerosolymis peragravit Judæam, et per eam mittit septuaginta duos discipulos, quos à missione reversos docet modestiam, Patrique suo gratias agit. Luce 10, à v. 1 usque ad 25, et aliquid Matth. 11, v. 23 usque ad finem. Deinde scribam arrogantem docet quis ejus proximus sit, exemplo Samaritani. Luce 10, à v. 25 usque ad 38. Paulò post in Bethaniâ hospitio excipitur à Marthâ, etc. Ibidem, à v. 38 usque ad 44, cap. 11. Invitatus ad prandium à Phariseo, carpit Phariseorum vitia, sæpiusque *ecce* in ipsos pronuntiat. Luce 11, à v. 57 usque ad finem. Postea cum ei nuntiatum esset de Galilæis à Pilato occisis, provocat omnes ad penitentiam, ne instar ficis infructuosæ excidantur. Luce 13, à v. 1 usque ad 18.

QUESTIO PRIMA.

An Christus approbaverit responsum legisperiti, Luce 10, v. 57.

Post hæc (nempe post recessum Christi à Galilæa, et iter ejus in Jerusalem) designavit Dominus et alios septuaginta duos; et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quò erant ipse venturus. Luce 10, v. 1. Plerique codices Græci et Syri habent, *septuaginta*. Illos sequuntur Euthymus et Theophylactus; item Eusebius, lib. 1 Histor. ecclesiast. cap. 14; Irenæus, lib. 2, cap. 7; S. Ambrosius in hunc locum, et D. Hieronymus, epist. 127 ad Fabiolam.

Attamen Latini codices constanter tradunt legisperiti septuaginta duos. Idem habent S. Epiphanius, hæresi 20, Fabianus Alexandrianus in Harmoniâ Evangelicâ, cap. 66, et S. P. Aug., lib. 22, Quæst. evangelic., cap. 14, ac lib. 2, de Cons. evangelist., cap. 25, Beda, in cap. 10 Luce. Idem etiam constat ex Bibliis jussu summorum pontificum Sixti V et Clementis VIII Roma correctis.

Interim dum quidam legisperitus Christum interrogabat, et ab ipso petebat: *Quis est meus proximus?* Dominus proponit charitatem Samaritani erga hominem, qui inciderat in latrones inter Jerusalem et Jericho. An autem hæc sit parabola an vera historia incertum est. Cum verò Christus ista proponendo dixisset quod quidam sacerdos, et quidam levita istum hominem vulneratum transivissent, et quod quidam Samaritanus ejus vulnera alligasset, etc., petit ab illo legisperito, v. 36: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones?* v. 37: *At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade et tu fac similiter*. Videtur hic Dominus approbasse responsum legisperiti, ex quo quasi apparet sequitur quod nec sacerdos, nec levita fuerit proximus istius læsi, sed solus Samaritanus; quod tamen est falsum: nam omnis homo beatitudinis capax est noster proximus. Igitur sensus interrogationis Christi est hic: Quis horum trium videtur tibi functus officio proximi erga illum hominem? Tunc bene respondet legisperitus

quod sit ille Samaritanus; et hoc sensu Christus ejus responsum approbat, ipsique bene replicat: *Fac tu similiter*.

QUESTIO II.

Quis sit sensus verborum Christi, quæ habentur Luce 11, v. 47.

Inter multiplex *ecce*, quod Dominus in Pharisæos pronuntiat, dicit loco citato: *Væ vobis qui edificatis monumenta prophetarum; patres autem vestri occiderunt illos. Profectio testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem edificatis eorum sepulcra*. Ratio difficultatis hujus loci in eo sita est, quia videtur omnino contrarium debere inferri: nam qui in honorem martyris edificat sepulcrum, non ostendit se consentire in mortem illatum martyri, sed potius se dissentire; aliâ quicumque edificat ecclesiam martyri, consentit in ejus necem.

Resp. et dico: Inter varias variorum opinionum optima videtur esse expositio Estii, dicentis: Cum scribe et Pharisei vitâ et conversatione, ac Christi persecutione satis declararent se prophetarum sanctitatem non diligere, sed odisse potius; hinc quod illis erigebant monumenta, sic accipiendum, dicit Christus, quasi non in honorem, sed in contumeliam prophetarum ea erigerent. Quod et sic explicari potest: Dum erigitis monumenta prophetarum, qui à patribus vestris occisi sunt, nec tamen à peccatis patrum vestrorum receditis, me prophetam persequendo, etc., monumenta illa velut contra se clamant, et testimonia quadam sunt vestræ malitiæ: sicut homo sceleratos laudans virum sanctum, testimonium dicit contra seipsum; suamque malitiam et improbatum facit magis apparere per comparisonem sanctitatis et integritatis ejus quem laudat.

Quamquam igitur scribe et Pharisei edificando prophetarum sepulcra, videri vellent colere prophetas, et damnare eos, qui ipsos occiderunt, tamen testificabantur ipsâ sepulcrorum edificatione quod consentirent operibus patrum suorum, eaque approbarent; quia Christum persequendo, eorum vitâ et scelera imitabantur. Non dissimile quod dicitur Psal. 49: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas? Tu verò odisti disciplinam*. Item proverb. 26: *Indecens est in ore stultorum parabola*.

QUESTIO III.

Quis sit ille Zacharias filius Baruchie, qui dicitur occisus inter templum et altare.

Dum Christus scribis et Phariseis exprimebat quod essent rei sanguinis prophetarum etiam occisorum, quia consentiebant actis patrum suorum, et illos erant imitari occidendo discipulos ejus, subjungit Luce 11, v. 51: *Ut requiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione istâ, à sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariae, qui perit inter altare et ædem*. Matthæus, cap. 23, v. 35, habet: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justî, usque ad sanguinem Zachariae, filii Baruchie, quem occi-*